

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Qui Fulda dominantur & Visurgis.  
 Semen servat enim Deus piorum.  
 Hanc cum nunc celebres Elisabetham,  
 Ad nos advenias, Nidane Pastor,  
 Matrone ut pia facta proferamus,  
 Ut tali pietate nos colamus  
 Aeternumque Deum, Deique Gnatum  
 Ac motus animi leves domemus.  
 Multum exempla pios juvare possunt.  
 Quanto robore pertulit dolores,  
 Extincto pariter viro atque gnato?

Ac pulsa ex patria Viri atque gnati  
 Ostendens mala perferenda sanctis  
 Esse ingentia, ut invocare discant  
 Mirandum auxilium Deum ferentem,  
 Presentemque suis adesse cernant.  
 Sic cur nostra onerata mole tanta  
 Sit natura, sciamus, atque justo  
 Sit subjecta Deo, simulque propter  
 Gnati vulnera nos opem petamus.  
 Hoc exempla monent Elisabetha.

Philippus Melanthon.

Anno 1557.

LV.

**S** Valde gratum officium præstitisti, Vir clariss. & ex animo mihi colende frater, quod tam diligenter de statu Ecclesiæ ad me perscripsisti. Doleo autem vehementer, spem multis de instituti Colloquii fructu conceptam, in ventum abiisse, & tot sanctorum labores fuisse irritos, DEO nimirum peccatis nostris irato, quo solo benedicente prosperantur piorum actus & studia. Solatur tamen nonnihil me, quod Adversariorum culpa, non vestrâ abrupta sit collatio. Utinam verò de sanandis Ecclesiæ vulneribus serio constitutur à Principibus, quo liceat communi operâ velutque consertis manibus oppugnare hostem & potentem & pertinacem. Ac speraveramus, Tigurinos fratres, quorum sententiam requisiveramus, consensuros facile, ut venirent, si ad generalem Synodum invitarentur. Sed declarant se nonnihil difficiles, eò quod Protestatione postrema, metuantque proinde, ne Synodo forte gravius controversia exardescat. Probabatur fratribus meis & mihi consilium impense, qui non dubitemus adfuturum Christum Dominum piorum cætui, daturumque, ut fraterna collatione mitigari saltem quædam possint & explicari commodius, quæ minus videntur perspicua. Cuperem de his vehementer queram tecum conferre multis, & occasionem, quâ id fiat, diligenter queram. De Clivensi duce sunt, qui spem nobis faciant, professionem religionis puram apud suos procuraturum esse, de quo si quid habes, quæso, per præsentium Latorem significa. Facit ejus improvisus abitus, ut tumultuanter &

K 2

bre-

brevius scribam. Bene vale in Christo JESU cum tuis omnibus. Basil. 22.  
Jan. Anno 58.

*Salutant te mei Symmista & D. Amerbachius reverenter.*

*Tuus ex animo*

Simon Sulcerus.

LVI.

**S** De Ecclesiarum per Gallias statu, te, mi Marpachi, docebit plene Beza noster, quem non est, ut commendem, Christi causam agentem. quando tua sponte zelo regni Christi propagandi flagras. De Ecclesia vestra Argentinenſi multi fausta nunciant, pace inquam optata & consensione mutua, fratres pastores & Scholæ Professores frui, neque vulgarem spem esse, Magistratum esse facturum officium, ut aliquando pristina refulgeat religionis puritas in ampliss. florenteque civitate, & repurgato idolatriæ sectarumque contagioso malo, & constituta disciplina: atque huc cum conferri per me nihil possit, saltem scias, vota & preces ad Dominum per me & meos non intermissum iri. Europa, ut adparet, variè tumultuatur, & exaltata manus Domini videtur, ut sæviat per virgam furoris justam, in prodigiosam mundi ingratitude. Venetorum naves aliquot à Turcis interceptas novimus, quam ob injuriam gravis legatio ad Turcicum Imperatorem à Venetis missa est, 300. triremes 15. Martii Constantinopoli solvent, quo autem, nefcitur. Inter Florentinum & Ferrariensem Duces pax coaluit, interventu connubii, quo Florentini filia nuptui Ferrariensi cecidit. Quâ occasione usus cum Florentinus exercitus à Parmensi discesserit, recta vicina oppida invasit, cepitque, & Parmam obsidet: materia hæc fomentaque bellorum sunt, ut noſti. Incerta agitantur innumera consilia, pauca in Domino & cum Domino. De armis cogitatur, sed non de pœnitentia: Quo magis nostrum est, eam ipsam urgere, pro munere nostro. Bene vale, vir venerande & colendiss. Basil. 2. Martii, Anno 1558.

T. Sulcerus.

LVII.

**S** Piè mones, Vir reverende & charissime Frater, fovenda est sincera pietatis professio, præcidendæ cavendæque & corruptelæ & controversiarum occasiones, quæ ut facile obrepunt, ita non facile sanantur. Scriptum Wigandi,